

כשם יהיה

הקדמה  
תענית

SEU

DE JEJUNIIS  
HEBRÆORUM,  
EXERCITIUM ACADEMICUM,

Quod

*Consensu Ampl. Phil. Senatus in illustri ad Au-  
ram Acad. quæ Aboæ Fennorum est,*

Sub Directione

*Viri admodum Reverendi Amplissimiq̃*

DN. M. DAVIDIS לואד/  
Lingv. Orient. Professoris Ord. Præce-  
ptoris & Promotoris sui ætatem reverenter  
suspiciendi,

*Publicæ Φιλοφρόνων κείων, modestè offert*

JACOBUS Carlqvist/ Kex. Carel.

*In Audit. Maximo die 10. Octob. 1696.*

ABOÆ, Exc. apud JOH. WALLIUM.

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

DE JURE

VIRO JUVENI  
Eximio Politissimoque,  
DN. JACOBO  
CARLQVIST,  
De  
JEJUNIIS HEBRÆORUM  
Ingeniose Differenti:

**Q**uid *Pharisæe* crepas albo Jeju-  
nia vultu?

Cum fiet illo ipso carior alma  
*Charis. \**

*Papa*, tuos itidem cultus haud ul-  
la manebit

Gloria. Cur? CHRISTO Judi-  
ce vana colis. \*\*

\* Esa. LVIII. 6. 7. 8.

\*\* Matth. xv. 9.

*L. M. quambis fest.*

A: WANOCHIUS,  
S. S. Theol. Prof.

Indefesso Musarum Cultori, & Optima-  
rum virtutum, politiorisque vitæ Stu-  
dioso commendabili,

*Pereximio ac Præstantissimo Juveni,*

**D<sup>N</sup>. JACOBO CarlOwist/**

**Amico suo sincerè dilecto,**

Specimine hocce Academico egregio, ex publi-  
ca cathedra solerter defungenti, hac ac-  
clamatione adplaudebat.

**Ο**ιμαι πρὸς μέσους ὀρθῶς, φίλε, νήσιμοι  
ἴμεν,  
Ἐξάγει αἰεὶ γόρτοι κῆρ τε θυμόν τε κόρυεμα,  
ὄφρ' ἀπεράγμων ἢ ὑπὸ Μανδραγόρε τε κα-  
θεύδων

Μείραξ. Τῆνεκα γόστ' ἔχειν δεῖ σ' ὄντα μάταιον,  
ὣς τε κ' ὀνομαρεῖν κεφαλὴν μὴ δεῖ. Πινυτὶς μὲν  
τῆτι' ἐφρόνεις ἐτάρων ΚΑΡΑΚῆστι φίλτατ' ἐμείνη.  
τῆρεν ἵκτει, εἰσοῖτα, κόρος, φεύγεις ἄρα γ' αὐτόν.  
Ἐν σήθεσιν ἐπεὶ νόος ἄρλιος εἶαται ἔτως,  
νήσιμος ὢν, πῶε νησείας μοχθεῖν ἐθέλησθα  
ἔργον, κἀν γ' ἐδύναω χρηστὸν, κλέος ἔνθα πέν δὲ  
ἐκφύει. Αἰνὴ δὲ νησείας ἀπερείσι' ὀλύμπῃ  
βρώματα τρώξῃ, ἰφινέμοντ' αὐτὰ θεοῖο,  
νησεύων μόνον ἧς, δεόν ὡς, αὐτῶ πρὸς ἀρετὴν.

L. Μφ.

DAVID RUTH.



DUCE ET AUSPICE JEHOVAH!

§. I.



**T**si studium accuratius indagandi vocabulorum Origines, delicatioribus nauseam movere intellexerimus, non dubitamus tamen juxta receptum in Academiis, & haud dubie utilitate sua suffultum morem, pauca tum de originatione vocis תענית, tum de significatione præfari; cum non solum recta ratio svadeat, quod nequicquam in naturam rei inquiratur, ubi de nomine nobis certo non constat: Sed & virorum in palæstra literaria Clarissimorum monita id jubeant, inter quæ insignis est Ciceronis locus lib. I. offic. *Omnia quæ a ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet à definitione proficisci, ut melius intelligatur,*

A

*tur, quid sit id, de quo disputetur.* Est igitur utcunqve hebraismi gnaro pronum intelligere quod תענית a radice ענה vel ינה derivetur, viqve Etymi Afflictionem significet; fere tamen de inedia usurpatur, quæ omnes corporis vires exsugit & affligit, sangvinem & succum in corpore latentem absumendo: Imprimis autem jejunium designat, quando cum voce נפש, quod animam notat, copulatur. Synonymum ejus est צום, at discrepancia in eo consistit, quod תענית ingentes animi mœrores jejunandi actui *παχυλῶς* admittas connotet, nimirum abstinentiam â lotione, unctio- ne, vestium mutatione, genialis Tori usu & calceorum gestatione, sicut Hilcot Joma cap. 8 habetur. צום vero â radice צום originem ducit, quæ exsugere & emulgere designat quia per abstinentiam a cibo, vires corporis exsuguntur. Græci interpretes exponunt voca- bu-

bulum **νη** per *νησείαν*, a particu-  
 la privativa *νη* & *ἀπὸ τῆς ἐσθίειν* quod  
 est comedere, hinc apud græcos *νη-  
 σεία* vocatur. Vel etiam *ἀπὸ τῆς σέυ-  
 ομαι* quod validum & firmum ef-  
 se significat, ab aliis ducitur. Vid.  
 Meisn. Phil: sob: Tom. 3. de Temp:  
 pag: mihi 279. atqve sic ob litera-  
 rum quandam cognationem, hisce  
 nominibus exoticis latinorum je-  
 junium apprime respondet, no-  
 tante Flacio in clave script: part  
 2. tract. 6. pag: 306.

## §. II.

Hisce ita præmissis, antequam  
 ulterius progrediamur, etiam illud  
 observandum, quid per appellatio-  
 nem *νησείας* seu jejunii in codice sa-  
 cro intelligatur. Is qui non variis  
 minusque lautis cibis utitur, vel  
 ob defectum cibi, vires corporis  
 macerare cogitur, vel ob adversam  
 valetudinem comedere non potest;  
 verè jejunare non dicitur, sed tale

jejunium *Λευδς*, 2 cor. ii: 27. seu *α-  
 στία* Act. 27: 33. vocatur. Nec hæc  
 vera jejunii laus est, quando quis  
 parcè vivit, & ita sobrietati studet,  
 ut corpus suum crapula vel vini  
 usu nunquam oneret, sed tantum  
 temperantia dicitur. Nec quando  
 quis ventrem suum largè licet non  
 carne, tamen piscibus explet, jeju-  
 nium verum dici potest, nam tem-  
 pore jejunii ventrem esse vacuum  
 oportet, ut tanto aptius cultus di-  
 vinus & res Sacræ peragi queant.  
*Nam si Fejunes*, inquit Brochman: de  
 jejun: pag: 404i. *Sive quia valetu-  
 do imbecillior id necessario poscit, sive  
 quia cibi potusque penuria imperat, sive  
 ut vanam coram hominibus gloriam au-  
 cuperis; Fejunium, tuum neutiquam est  
 religiosum jejunium, quod DEO placeat  
 & probetur.* Nam quotiescunque  
 Scriptura mentionem jejunii facit  
 inuuit semper totalem abstinentiam  
 ab omni cibo, per quam corpus quo-  
 dammodo affligitur & anima hu-  
 mi-



miliatur. Jejunium vero nostrum DEO probatum iri tum novimus, quando ex vera fide suscipimus id, in eum finem, ut cultui divino peragendo simus aptiores. Tale etiam fuit jejunium tempore judæorum, qui usque ad vesperam a vespera abstinebant ab omni cibo. Exempla illorum, qui sic humiliarunt se coram DEO, plurima suppetunt in Sacris Scripturis, ex illis Davidis allegasse sufficiat qui ante occasum solis non gustavit panem nec quicquam aliud, ut patet 2 Sam. 3. 35. Jejunium apud judæos durasse, usque ad occasum solis, probare pronum est jejunio ab Esthera indicto, quo per tres noctes cibum non sumebant. Quando vero per plures dies jejunium duravit, sumebant quidem cibum, sed non delicatè, nec mensa solenniter instructa. Sicut tale describit jejunium Daniel, qui non usus unguentis, non vino, non carne, saltem pane atro,

quo tantum vitam sustentavit, ut dicit, *lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro nec vinum introierunt in os meum.*

Cap: 10. Tempore igitur jejunii, quod obiter notamus, jejunantes non tantum omnem cibum & potum recusarunt, sed etiam illarum rerum usum quæ ad lætitiâ faciunt, simulque ne corda ipsorum gravarentur crapula & ebrietate, delicias & commoditates evitarunt, vestes autem lugentium sibi induerunt.

### s. III.

Postquam hæcce ad hujus appellationis meliorem intellectum quodammodo facientia præmissimus, ad ortum erit respiciendum. Cum Numen supremum protoplastarum transgressionis labem, in populum judaicum æque ac omnes alios transplantatam, altius altiusque radices agere, & suum populum debitæ obedientiæ jugum semper

per

per excutere velle, videret, con-  
 siderat illi leges sanctissimas, ne in  
 hac malitia sua perderetur, hoc i-  
 pso ostendens, quam ardentem illum  
 amaret, & quam studiose salutem  
 ejus procuraret. Sic instituit illi  
 jejunium seu diem humiliationis  
 ad certum & statum tempus restri-  
 ctum, quo filii Israel sub titulo  
 חֲמִשָּׁתַּיִם יָמִים secum in animo per-  
 penderent & considerarent pater-  
 nam illius curam, quam illis jam inde  
 ab exitu ex Ægyptiaca servitute, per  
 quadraginta annos in deserto præ-  
 stitisset, ut ab omnibus insidiis tu-  
 ti essent homines hujus gentis. Ad  
 hoc solemne jejunium, Ecclesia Is-  
 raelitica a Deo per Moïsem, tanquam  
 internuntium convocabatur, quo  
 peccata sua admitta deploraret.  
 Quia voluit summus ille rerum ar-  
 biter, omnium hominum ex pro-  
 sapia hac oriundorum peccata, hoc  
 die per solemne a summo Pontifi-  
 ce oblatum sibi sacrificium, expiari.

§. IV.

Solemnis hujus jejunii auctorem primum fuisse DEUM, supra quidem levi, quod dici solet, brachio tetigimus, persequamur jam finem, quatenus a DEO in scripturis describitur & ei placet. Jejunium DEO placiturum, non alio fine suscipiatur, quam ut per dormituram carnis dolor noster DEO indicetur, & cor nostrum ad preces, pœnitentiam, ad pietatem & sacramunia obeunda expeditius & ferventius reddatur; nam DEUS vult ita corpus nostrum nos tractare, ut semper concupiscentias carnis edomeamus, easq̄ in servitutem redigamus juxta illud Pauli *μη εν βασιλευετω η αμαρτια εν τω θνητω υμων σωματι* Rom: 6. 12. monitum. Nam concupiscentia carnis spiritui semper resistit, ut corpus in ejus obsequium pertrahi non possit. Castigatur vero hæc petulantia peculiari continentia exercitio, atq̄ve per sobrietatem. Etenim

ut saturitas distensio ventris & in-  
 temperantia invocationis devotio-  
 nem impediunt, turbant & extin-  
 guunt; ita ex adverso per sobrietatē  
 ardentior fit intentio animi, multum-  
 que accenditur in hoc officio. Hinc  
 ut caro eo melius coerceatur, ne spi-  
 ritui oblectetur, & ut mens libe-  
 rius & ardentius pœnitentiæ, oratio-  
 ni & reliquis pietatis exercitiis va-  
 care possit, cor nostrum *καταπίλη*  
 gravare non debemus. Ita quoque  
 jejunio dolorem nostrum ex cala-  
 mitatum vehementia, DEO ingenti  
 cum animi mœrore indicamus, ut  
 sit certum testimonium nostræ co-  
 ram DEO subjectionis, juxta Davi-  
 dis verba *עניתי בצום נפשי* *afflige-*  
*bam in jejunio animam meam* Psalm:  
 85. 13. Vel ex uno Ninivitarum  
 exemplo hoc probari potest, quando  
 Rex hujus gentis, ob atrox gravif-  
 simumque imminens periculum, e  
 solio suo surgens, deposuit diade-  
 ma suum, & involutus cilicio, sedit

in cinere, & proclamari jussit, ut universi subditi ejus ciliciis accincti essent, homines vero armenta & greges nihil gustarent, nec aquas biberent.

## §. V.

Sic paucis expedivimus ea quæ de jejunio præcipue expiationis in limine detegenda fuere, quod ex auctoritate scripturæ celebrandum erat; nunc pedem promovemus ad jejunia, quæ a Majoribus & Patribus Israelitarum posteritati, in memoriam rerum tristium calamitatum & afflictionum, quæ circa illa tempora a Chaldæis fuerant perpeffi, tradita & commendata sunt, ut multis ex Prophetarum scriptis videre est. Jejunia a Magistris, Prophetæ Zachariæ temporibus, instaurata quatuor publica legimus.

*Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium Decimi mensis erit Domui Jude, in gaudium & letitiam, in solennitates præclaras: veritatem tantum & pacem diligite Zach:*

8. 19. Horum primum est צום העשירי  
 feu Decimi jejunium, qvod sic apud  
 Prophetam dicitur, & mente טבת  
 feu ordine Decimo (*Decembris*) â  
 judæis exulibus tempore captivi-  
 tatis Babylonicæ ut satis magnum  
 jejunium celebrari solitum fuit, qvo  
 etiam Nebucadnezar hostili animo  
 Hierosolymam obsedit, urbemqve  
 corona cinctam, in magnas angu-  
 stias redegit. Posteritas autem hoc  
 jejunium die octavo mensis Decimi  
 ob legem translata in græcam lin-  
 gvam, observabat, notante joh. Coc-  
 ceio coment in h. l. Fol. 507. Idem  
 docet joh. Mejerus ex Mafsechet  
 Sopherim in sua Diatribe מעשה  
 בחמשה זקנים שכתבו לתלמי המלך את  
 התורה וזכות והיה היום קשה לישראל  
 כיום שנעשה העגל: שלא היתה תורה  
 יכולה להתרגם כל צרכה.

*Historia est de quinque senioribus, qui transcripserunt legem Ptolomæi Regis gratia in linguam græcam. Et accerbus fuit iste Dies Israeli sicut dies qvo conflatus est*

*vitulus aureus quia lex non potuit verti  
secundum requisita ejus. Confer. Cla-  
riff: Buxtorf: Synag: jud: pag: 575.*

§. VI.

Alterum jejunium appellatur  
apud Prophetam צום הרביעי jeju-  
nium quarti, seu Tammusi mensis  
quia incidit in mensem quartum  
ejusque diem XVII, quo urbs je-  
rusalem à Babylonis ex fundamen-  
tis everfa Jer. 10. 52. Hoc jejunium  
ob varias illo Die in perniciem cœ-  
tus undiqvaque spirantes & irruen-  
tes afflictiones celebre fuit. Im-  
primis ob peccatum irreverentiæ  
filiorum Aaron, quod docetur E-  
xod. 32. Cum Aaron desperasset  
Mosis reditum de monte Sinai, &  
secundum fatuam populi flagitatio-  
nem vitulum aureum fudisset, re-  
penteque veluti vivum subsultasse  
est arbitratus, tunc stupidus admi-  
ratione, altare coram eo ædificavit  
& exclamans dixit: *hi sunt Dii tui Israel*

*qvi*



*qui eduxere te de terra Ægypti.* Descendente autem Mose de monte Sinai cum tabulis Saphyrinis stylo-transparente signatis & voce cantantium audito, indignatione talis abominationis & idololatriæ eas solo illis confregit. Jejunasse etiam illos hoc die traditur ob cessationem jugis *sacrificii*, ob legis sacræ exemplaris combustionem, ob urbis Hierosolymæ secundam, partim inedia, partim telorum multitudine oppressionem, & ob Idololatriam a Manasse in templo commissam. Harum calamitatum memoriam adhuc hodie quotannis recolunt, moderni Judæi, quamvis magis specie externa & sub prætextu pietatis id fiat, quam interna cordis contritione.

### §. VII.

Cum igitur hic dies cum reliquis diebus intercedentibus ad nonum usque sequentis mensis, tot cladibus & calamitatibus infaustus fuit

fuit, ideo nec parentes liberos, nec præceptores discipulos corripere & virgis cædere audent, nec litigiis suis finem ex lege petunt, prætendentes se mæstitia & metu defixos, causæ dicendæ minus idoneos esse. Atque hisce frivolis excusationibus lites de die in diem differunt. His diebus etiam ab hora quarta ad quintam absque comite nemo solus quoquam tendit, fabulantur enim illis horis Dominium spiritui cuidam maligno קטב מור permisum esse, occasione arrepta Deut. 32. 24. sicque minus tutum quemquam solum esse, cum ita spiritui maligno se falcinandi occasionem præbeat. Unde in Talmud: dicitur *Duo sunt spiritus*, קטבים dicuntur, *alter eorum potestatem habet ante meridiem, alter à meridie*, tract: de Pasc: fol: III. col. 2. Veteres dividebant in quatuor משמרות seu vigilias, diem, quarum unaquæque tres horas

ras complectitur, hæ iterum sex horæ duas comprehendunt custodias intermedias, quarum alteri antemeridiam alteri vero post meridiem potestas concessa est.

### §. VIII.

Tertium jejunium vocatur jejunium **בשעה ברא** sic dictum, quod nono ejus mensis celebratur, quod ut omnium sanctissimum in universum servare tenentur, ita omnes ad illud stricte observandum obligantur. Quia eodem die tam primum per Nabucadnezarem, quam secundum per Titum templa solo æqvata sunt, nec non eodem die capta est Bitter, civitas longe maxima, & in qua multa milia multæque judæorum myriades morabantur. Ad hoc jejunium Judæi admodum decenter se præparant atque componunt, statim à primo quo mensis As ingreditur, sensim omnem lætitiã, mercaturam, ven-

venditionem, aliasque ejusmodi res, quæ ad lætitiæ libidinisque usum spectare possunt, deponunt, arbores terræ inferere non permittunt, a gaudio quoad antenus abstinere solent, crines non tondent, nec in balneum lavandi causa eunt, ablu-tionem vestis linteamentorumque prohibent; sutor nemini, cujuscun-que generis sit, calceos conficit, nec vestes dealbatas aut linteamina nova munda induere licitum est. Abstinent ab omni carne, omni-que vini usu, excepto die sabbathi, quo, ut alias cibum una cum potu sumunt. Nec cuiquam hoc die licet impertire alteri salutem, *quia non est tempus salutis sed עת צער ויילה tempus mœroris & ejulatus, propter vastationem sanctuarii* Clariss. Buxt. Non studiis legis divinæ, Prophetarum, Hagiographorum Talmudis aut Mischnæ incumbendum, quia hæc excitant cor ad lætitiã, teste David, *præcepta Domini sunt recta letifi-*  
*can-*

*cantia cor.* Nec satis est hoc jejunio animas affligere, verum etiam inperpetuo luctu esse volunt, quo per tristium historiarum lectionem, utpote Jobi, & præcipue Threnorum, in memoriam revocent urbis templique sacri desolationem, ita quidem, ut si quid obvenerit in his ad lætitiā provocans, id sicco pede prætereundum sit.

§. IX.

Præterea etiam hic obiter notandum, quod prægnantes quoque & lactantes, plenum totius diei jejunium observare debeant, ut in die expiationis, & si contigerit mulierem gravidam ex veteri consuetudine capiendi cibum, illum jam prohibitum desiderare, ex denegatione vero salus ejus periclitaretur, tunc animus paulisper succo seu humore cibi prohibiti mitigandus esset, si minus hoc juvet, concedendum ipsi desiderium suum. Puerperæ autē non tam strictē obli-

B,

gan-

gantur ad servandum hoc jejuni-  
um, primis â partu diebus ob me-  
tum periculi, nam si acciderit ap-  
petitum illarum aliquando accendi  
cibi prohibiti desiderio, non prohi-  
bentur alimento, si eo ad refectio-  
nem corporis opus habeat. Labo-  
rantibus morbo eandem legem præ-  
scriptam esse nos docet Clariss:  
Buxt: pag. 529. *Ægroto, qui cibum ap-  
petit & eo se opus habere dicit, cibus dari  
potest.* Etiam, quamvis non postu-  
laverit, vel dixerit se eo carere pos-  
se, porrigendus est. Insuper ab om-  
ni labore cessant, & ne sic volupta-  
ti occasionem dent, in id incum-  
bunt, ut pietatem perpetuo affecta-  
re possint. Qvi vero tunc laborat,  
fructum ex inde nullum multo mi-  
nus benedictionem, expectet.  
Christianorum opera imitari in re-  
bus domesticis concessum est. In-  
dignus erat ille spectator lætitiæ  
Hierosolymiorum, qui hoc die ven-  
trem vino & carne distendit, atque est  
ob-

obnoxius malo quod scriptura designat apud Ezech:32. 27. *Et erunt iniquitates eorum super ossibus eorum.* Qui vero in continuo luctu moratur, is videbit Hierosolymam in lætitia ejus, juxta illud, Esai. 66. v. 10. שמחו את ירושלם וגילו כה כל אהביו שישו אתה משוש כל המתאבלים עליה. *letamini cum Hierosolyma, gaudete cum gaudio, universi qui lugetis super eam.*

## §. X.

Hicce jam sic observatis, ab ipsis verbis, sole ad occasum vergente & cacumina montium arborumque occupante, ad negotia sacra obeunda se conferunt, nimirum calceis exutis, pedibusque nudis scholam petunt, humi more lugentium confidentes, unica candela accensa, ad cujus lucem Threnos Jeremiæ explicant, & oratione DEUM placare student. Si vero contigerit hanc extingvi, alteram in id paratam, qua accendi potest, servant, ac sic peracta nocte, sub lucis exortum pre-

ces suas consuetas ad DEUM fundunt. Interea dum Threni leguntur, nemini licitum ambulare foras, vel discursus inutiles habere. In schola manent usque ad meridiem, ibi humi flentes & ejulantes in cinere se volutant. Ita enim Joh: Oth: lex. Rab: Phil: p. 258. ad Thaan. *In publicis Fejuniis, accipit unus quisque cineres & imponit capiti suo.* Finitis precibus abeunt domum, nec mœroris sui magis recordantur, tamen antea repetunt Cœmiteria, ubi luctum magis magisque augent, *postquam oraverunt, exit unversus populus in cœmiterium, flentes ac deprecantes,* ibidem, vid. Gejer: de luctu Ebræor: pag. 371. Ast vero nec luctui Judæos sic continuo immorari æquum est, liberat namque Sabbathum proxime sequens eos a mœrore, *נחם* seu *Sabbatum consolatorium* dictum, juxta Esa: cap. 40. *נחם עמי* *Consolamini, consolamini populum meum.* sic se consolantur ac  
eri-



erigunt, sperantes DEUM promissa sua servare, ut de Simeone, dicitur, quod exspectarit *Consolationem Israël* Luc: 2. 25. & calamitatibus, afflictionibusque modum statuere velle, ut educat eos ex ergastulo.

§. XI.

Sequitur jam quartum Jejunium mensis Tisri, nostro respondens Septembri, & vocatur צום גדליה quod celebratur in memoriam interfecti Gedolix, viri ingenii placidi, & insignis Judæorum præfecti, cujus meminit Zacharias cap. 8. 19. Kimkius notavit ad Zach: 7: 4. וגדליהו נהרג בראש חרש השביעי: ולפי שהוא יום טוב קבעו התענית למחרתו *Gedolia interfectus fuit initio mensis septimi. Quia autem ea est dies festa, statuerunt jejunium postridie ejus diei.* Hujus præstantissimi herois ac innocentissimi necem indignam, paucis, repetitione historiæ, illustrabi-

mus: Nebucadnezar, expugnatis occupatisque Jerosolymis, sui exercitus duci, rescripto in mandatis dedit, ut captivos Judæos Babylonem manipulatim traduceret, qui quam primum voluntatem Regis sui cognovit, mandata strenue exsequitur, & Gedoliam Aicami hominis insignis, familiæ pulcre velificantem filium, tam nomine, quam virtute heroica clarum, reliquiis egenorum præfecit, qui benignius eos tractare consuevit. Quæ fama cum ad cæteros hebræos obsidionis metu dispersos, serpsisset, undiq; ad Gedoliam confluerunt, quibus ad se concurrentibus omnia bona promisit, & svasit omnẽ metum deponere, nihilque mali a Babyloniis metuere, insuper consuluit, unus quisque sibi sedem, quocunqve in loco vellet, eligeret. Inter hos etiam transmigravit Ismaël Nathaniæ filius, cujus mentionem facit Jer. cap. 41. quamvis ex Regia

pro-

profapia oriundus, tamen dolosifimus & contumax, ac prava cupidine recuperandæ per dolum regiæ dignitatis ardens, qui fervente bello, ad Ammonitarum Regem Bathalem se subduxerat, ibique prava consilia agitaverat. Hoc dum suboluit Johanni, viro cuidam de republica optime merito, ille admonens Gedoliam cavere sibi ab insidiis a profugo Ismaële sibi paratis, persuasit ut stipatores, quos custodiam corporis sui crederet præstare posse, eligeret. Erravit autem Gedolias, quod admonitus de insidiis Ismaëlis sibi non cavet, sed sprevit tam salubre consilium, id quod ei in exitium fuit, & dedit Johanni idem fere responsum, quod Darius Codomannus Patroni Græco. Hic Ismaël decem virorum comitatu in domum ejus irruit & mero oneratum, ac semisomnem cum convivis, necat, inde

elapsus, per totum oppidum sævitiam  
 suam exercet tempore nocturno, quo  
 melius desiderio suo satis faceret. Im-  
 bellem Masphatensem plebem capti-  
 vam, & aliam prædam abegit. Hunc  
 Johannes veloci exercitus globo in-  
 secutus fuit. Hæc factio Israëlīs Æ-  
 gyptū repetendi occasionem fecit, nā  
 Regem Babylonīū omnium excidio,  
 paucorum scelus ultū ire metuerat.  
 vid.: Josep: Antiq: Jud: Lib: 10:  
 cap: 11. Evolvatur etiam Joh: Qven-  
 stend: Ant: p: 865. *Fuerat hic Ge-  
 dolias præfectus Judæorum, qui adhuc  
 in Palestina erant relictī, cum ceteræ  
 tribus in captivitatem essent abductæ,  
 sed & Gedolias tandem fuit occisus, quo  
 sublato residui Judæi omnes in Ægy-  
 ptum aufugerunt, eaque tota palæsti-  
 na fuit Judæis exuta, cujus rei me-  
 moriam annuo jejunio egerunt. Tan-  
 to igitur majori animæ cura ac  
 religione sympathiam suam decla-  
 rant, suamque observantiam & re-  
 veren-*

verentiam erga Regem suum, a quo magnis beneficiis affecti erant, testantur, quanto majorem noxam insperatus ac intempestivus, inter tot acceptas belli clades, obitus ejus iis invexit: nam repullulantis reipublicæ initia ejus vitæ cursum perfunderunt ac obtriverunt.

§. XII.

Præter hæc quatuor ordinaria Jejunia a toto Israelitarum cœtu observata, etiam alia extraordinaria indicta fuerunt, quæ absque laciniosis verborum finibus nobis explicanda sumamus. Primo contemplabimur jejunia publica, quæ fervente bello, & tempore persecutionis alicujus vel pestis grassantis celebrant, utpote ob concubinam Jeledi raptam & constupratam, quam maritus in duodecim partes truncatam dilaniatamque frustulatim tribubus Israel distribuit. De hoc ita habet Mejer: *die 23.* scilicet undecimi mensis תבש, *Jejuni-*

um, quod eo congregati sunt omnes  
 Israelitæ contra tribum Benejamin, su-  
 per re concubine in Gibeā, propter pec-  
 catum idoli sculptilis Micha. De orig:  
 & caus: fest: pag: 367. Sic jejuna-  
 bant post arcam raptam, 1. Sam. 7. 6.  
 cum populus viribus ex fame fra-  
 ctis non potuerint amplius resiste-  
 re, indixit Propheta Joel jejunium.  
 Cap. 1. 14. Israëlitæ his alloqui-  
 tur verbis. קדשו צום קראו עצרו  
 מספר זקנים כל יושבי הארץ בית יהוח  
 Sanctificate Jejunium, vocate Cœtum, congregate se-  
 nes, omnes habitatores terræ in Domum  
 Domini DEI vestri & clamate ad Domi-  
 num. Hinc cernimus jejunium olim  
 in ecclesia DEI institutum, non ad  
 peccatorum expiationē, sed ad pre-  
 cum ardentiolem eflusionem: voca-  
 tur sanctificatio jejuuii, inquit B. Che-  
 mnitius, sicut Sabbathi sanctificatio, ut  
 scil: tempus jejunii, ad sancta pietatis ex-  
 exercitia & opera conferatur & dedicetur,

Exam

Exam. Concil. Trident. part. 4.  
 de jejuniis. Operæ pretium est in-  
 tueri jejunia in hebdomade *feria*  
*secundæ & quintæ*, in diem jovis &  
 & lunæ incidentia, quæ se obser-  
 vasse Pharisæus decumanis verbis  
 jactavit, de quo vid. B. Gejer. de  
 luctu Ebræor: cap: 20. §. 10. Hu-  
 jus rei originem petunt ex hac  
 traditione in *Bava Kama*: *Efra*  
*instituit publicam legis lectionem die-*  
*bus hebdomadis secundo & quinto.*  
 Ob tres causas, Judæos hæc jeju-  
 nia observasse volunt, nimirum  
 ob destructum templum, ob legem  
 exustam, & probrum Divini No-  
 minis. Nec non ideo quod Moses  
 in montem ascendit ad tabulas re-  
 cipiendas secundas die hebdomadis  
 quinto, & descendit DEO jam pla-  
 cato die hebdomadis secundo. Ita  
 enim Joh. Oth. Lex. Rabb. Phil.  
 pag. 257. *Moses die quinto, h. e. die*  
*jovis, ad Deum ascendit, & placato*  
*jam*

*jam DEO die hebdomadis secundo. h. e. die lunæ, iterum descendit. Ideo & illis die secundo & quinto usu venit jejunare, cum ascensio ista & descensio tempus gratiæ fuerat.* Hinc verosimile nobis fit, Christianos primitivæ ecclesiæ, qui vel Judæi fuerant, vel cum iis habuerunt commercium, assumpsisse morem duobus diebus vovendi jejuni-um, & hoc jejunium suum in feriam quartam & sextam rejecisse, quas pagani vocabant Mercurii & Veneris, ne simul cum Judæis jejunarent, sed ab illis discerni possent.

### §. XIII.

Nec plane diversa fuisse videntur tria illa sabbatharia jejunia quæ sibi indixerunt post festum Paschatis & tabernaculorum, nempe die lunæ & jovis, repetendo tertium sequenti die lunæ. Præcipuam causam hujus rei hanc assignant, nempe si non preces suas tam



tam ardentem & constanter quam debuerint, fudissent festis illis, octo dierum intervallo durantibus, & percepissent in corde suo, ea festa aliquo vitio violata vel minus rite observata, tunc expiatum iri hanc culpam prætendunt interventu horum jejuniorum. Hanc consuetudinem ex eo affirmant, quod scriptum est: *Servite DEO cum lætitia, & exultate cum tremore*, h. e. ut gaudium quod ex celebratione festi flueret, responderet tremori jejunii. Vel hoc ex dicto Jobi probare conantur, sic dicentis: *Cumque in orbem transisset dies convivii, mittebat Job & sanctificabat eos, surgebatque mane summo, & offerebat holocausta, juxta numerum omnium illorum: dicebat enim Job, ne forte filii mei peccaverint & benedixerint DEO in cordibus suis Job. 1. 5.*

#### §. XIV.

Observamus etiam alia jejunia quæ angustia hisce hominibus express-

pressit; utpote pro impetrandis plu-  
 viis, quando siccitas, seu annonæ  
 caritas, pestis, locustæ, aut similes  
 pœnæ adegerunt eos ad vocife-  
 randum, vel ob ingruens infortu-  
 nium universi agnoscunt quod si-  
 bi male fiat ob sua opera sicut scri-  
 ptum est Jer. 5. v. 25. עונותיכם הטו  
 אלה והטאותיכם מנעו הטוב מכם.  
*Iniquitates vestre declinare fecerunt  
 hac, & peccata vestra prohibuerunt bo-  
 num a vobis.* Quod si post exacta tria  
 sibi invicem succedentia solemnia  
 jejunia DEUS ad pluvias conceden-  
 das nondum se commoveri passus  
 est, ad medium magis durum con-  
 fugiendum fuit, nempe sacco sive  
 veste cilicia induebantur homines,  
 atq; cinere aspergebantur, cujus pro-  
 cessus ordinem occasione data addi-  
 scamus ex lex: Oth: Rabb: Philog:  
 pag. 258. Eduxerunt arcam fæde-  
 ris in plateam civitatis, quo omnes  
 incolæ convenire debebant, induti  
 sac-

sacco cilicisve, cineremque exustum imponentes, tum arcæ fœderis tum libro legis, ideo ut augetur luctus, humiliareturque cor ipsorum, deinde senem sapientia instructum, in medio cœtu constituunt, ipsique sedent. Si deesset senex sapiens, alius eruditionis probatæ vir adoptabatur. Hoc deficiente, hominem exemplarem seu dignitate conspicuum eligerent, qui sermone increpans hunc in modum eos admoneret: O fratres neque saccus, nec jejunium quicquam efficiunt, sed totum in pœnitentia & bonis operibus positum est. Sic enim deprehendimus in Ninivitis factum, de quibus nullibi scriptum legitur: *Et respexit DEUS saccos & in jejunium eorum; verum, vidit DEUS opera eorum, quia conversi sunt, de via sua mala, Jon. 3. 10.* Hinc porro repetebat Prophetæ dictum, Joel. 3. 13. *Scindite corda ve-*

*stra*

*stra & non vestimenta vestra*, quibus deinde addebat ejusmodi alia pro virium suarum ratione, donec audientium animos flexerit, ut per poenitentiam ad meliorem frugem redirent. Conf. B. Gejer: de luctu Ebr: pag. 371. Postquam homo his partibus præfectus, superius allegatam orationem absolvit, in Synagogam multis precibus fufis confluent omnes, & ministrum Synagogæ vel ipsum qui officio oratoris fugebatur, vel alium qui dignus habetur ad orandum ordinant. De qualitatibus quas appendicis loco superadunt vid: Majm: de jejuniiis. Modus hic orandi haud sane improbandus foret, si ex vera fide juxta monitum Pauli Ebr: II. 6. cum variis pietatis gestibus cordisque contriti indicibus proficisceretur, & in illum finem ac scopum dirigeretur, ut DEO placeret, & præscripto ejus verbo congrueret; verum Judæi quoniam  
 sic

sic indurati fuerunt, ut nunquam  
 animum suum multiplicibus pro-  
 phetarum concionibus adjicere vo-  
 luerint, haud temere dicimus il-  
 lorum religionem non amplius Mo-  
 sis & Prophetarum fundamento  
 niti, sed puris putis mendaciis &  
 falsis Rabbiorum & doctorum  
 constitutionibus. Jejunium verum  
 oportet fieri sine religioso & decen-  
 ti, ut conjunctam habeat vitæ in-  
 melius mutationem, alias conta-  
 gio est, & mera abominatio in con-  
 spectu DEI.

§. XV.

Hic etiam addere lubet dies  
 quosdam qui vulgo in Kalendario ju-  
 daico non inveniuntur, qualis est dies  
 10. Martii, quo Prophetissa Maria  
 defuncta est, & quo etiã populus,  
 deficiente aqua, post obitum ejus, pec-  
 catum maximũ, peccaverunt in do-  
 minũ. Die 10. Aprilis affligunt se je-  
 junio ob mortem Eli, duorumq; ejus  
 filiorum, nec non ob arcam a Philis-  
 tæis abductã. De 26. lugent ob mor-

tem Josuæ filii Nun. Die 9 mensis Teveth seu Decembris itidem, verū de certa & Germana hujus afflictionis causa ipsi Rabbini ambigunt, de quo in Colbo legitur, *non consignarunt patres nostri, qva de causa observetur.* Clariss. Buxtorf. tamen in Synagoga Judaica refert nonnullos hanc prætere tendere causā, qvōd Estras & Nehemias hoc die vitā cum morte cōmutarint, cap. 30. pag. 575. Hæc & alia perpluima jejunia olim qvotannis & singulis hebdomadibus, in memoriam Prophetarum beate defunctorum, nec non virorum de republica optime meritorum, qvi vitam sanctam & piam duxerunt, Judæi religiose observarunt, vel etiam ob alias gravissimas causas, qvæ vel singulos, sive universos presserunt.

§. XVI.

Quoniam occasio datur, lubet etiam pauca de jejuniis hominum privatorum notare, qvi ob aliquem ingruentem morbum vel ali-

as imminentes calamitates jejunant. Sic non solum ob presentes calamitates, sed etiam ob malorum portenta, ac omina corpus suum, feriis esurialibus se macerasse reperiuntur homines. Nec non ob insomnia & illorum bonam interpretationem affligerunt se; eo fine ut malum insomnia omen averterent, unde Phraseologia usitatissima תענית לחלום *jejunium pro insomnia*, & vulgare adagium תענית לחלום כמש לנעורת *par est jejunium ad insomnia, ac ignis ad stupam*. Sæpe eo fine jejunarunt, ut desideria sua assequerentur, ut referunt Doctores, *R. Jose jejunavit Octoginta jejunia, & R. Simeon Ben Lachisch trecenta, eo fine ut viderent R. Chaja Rubba*. Sæpe etiam ut imminencia mala propellerent, jejunia ab his instituta. Exemplum talium Jejuniarum unum pro multis notasse sufficiat *R. Zadoki, qui corpus suum 40. annorum inedia fregit, nimirum ab*

eo tempore incipiendo, quo funestissima ostenta, templi urbis Hierosolymorum excidium antecedentia visa sunt, donec & ipsam *παρωλεθειαν*, oculis intueri coactus fuit, quæ res sine dubio, ita mentem ejus afflixit, ut corporis langvore contabuerit morbique sui medelam apud medicos Titi Vespasiani requirere opus habuerit. Lightfoot in horis hebraicis pag. 318. Hic etiam notatu dignum, ut paulisper a proposito deflectamus, insignis cujusdam hypocritæ & ingeniosi impostoris Jejunium, qui affectans nomen sanctum, abstinentia cibi 40. dierum, imitari voluit Mosis in monte Sinai supra naturale Jejunium & salvatoris christi in deserto. Commoranti enim Regi Alphonso in insula Ænaria, nunciatum est Eremitam quendam nomine Antonium tristem vitæ exitum accepisse, qui blasphema lingua calumnias manifestas in Christum effudit.



fudit. Hic ille Antonius erat, cujus fama per totam Italiam, Siciliam & Hispaniam serpsit, quod quadraginta dies noctesque perpetuo jejunasset. Cæterum ne sine aliquo religionis prætextu causam suam agere videretur, Cellæ ad id paratæ, ubi nihil nisi vacuum fuit, se inclusit, & a custodibus observari jussit, ut nihil edere vel bibere videretur. Omnes igitur qui miraculum hocce audiebant admiratione pleni arbitrabantur, Angelos quotidie ministrare ei, & fame urgente illum pascere. At ille præclusus in cella candelas habebat præcrassas, quibus fistulæ cannarum farina refertæ includebantur, quæ etiam dapibus lautis carnibusque caponum aromatibus immixtis repletæ fuerunt. Insuper ajunt eum cingulo fistulato, quod alias hypocraticum dicitur, circum cinctum fuisse, quo vinum condebat. His dapibus vir ille immortalis & ab omnibus sanctus

ctus habitus, corpus suum pingve fecit. Sed DEUS qui fortis Zelo- res est, nec sibi illudi patitur, mi- ferrimo mortis genere scelus ejus ultus est. Vermiculi namque ling- vam, quã plurima convicia in Chri- stum & virginem ejus matrem ja- ctaverat, nec non totum corpus e- jus corroferant. Hujus acerbissi- mum & feralem vitæ exitum cum Rex ille Pientissimus audivisset, di- xisse fertur: *Propterea Deus in hypo- critas tantopere sevit quod dum homi- nes decipiunt, interponunt DEUM ipsum tanquam sceleris mediatorem*, hanc hi- storiam refert Phil; p: Camerarius, oper: Horar: subcis: tert: Cent:

§. XVII.

Unum quodque igitur jejuni- um quod tam privatus, quam a- lius suscipit, fit cum dies adhuc est, & dicit in precatone vesperti- na, *cras ero in jejunio*, atque sibi firmiter in corde suo proponit in- stante crastina luce jejunare. Qui illud

illud sustinere perfecte valet, nomen sancti accipit, qui vero negligit vota servare, contraria experietur. Terminus Jejunii in sacra pagina est sol occidens, cujus legis accurratissimi observatores Judæi sunt. Hinc mos, cum Judæis tum Christianis priscis introductus est, jejunium post solis occasum primum solve, unde dicunt: *Jejunium, super quod sol non occidit non dicendum est jejunium.* Qui graviori luctu tenebantur, non tam stricte observarunt solis occasum, quibus enim nimis id grave & molestum, poterant aliquid cibi gustare ante solis occasum, tantum ad humectandas fauces. Ideo satis caute provisum fuit, ne inedia perirent. Qui luctu aliquo graviori tenentur nocte antecedente edunt, ac bibunt, ut Beat: Gejer: Luctu Hebr: habet, *Quamquam vero noctu edat, non tamen quicquam eo ipso dictis derogat.* & Maimon cap: i: Taan.

per-

*permissum fuit comedere proxima, quæ jejunii diem antecessit, nocte, donec aurora illucesceret exceptis solum modo jejunis propluviis institutis.* Discrimen

Ciborum Ebræis nullum fuit sed abstinencia totalis ab omni cibo ac vino usque ad stellarum accessum.

Casaub: inquit: *Jejunia populi Judæici non erant mutationes ciborum, sed vera abstinencia ab omni cibo ac vino.* Excer:

16: Contra Baron: num: 106.

Mærorem ac luctum suum ostendebant capite demisso, nudis pedibus, vestitu vilissimo, & multis aliis ejusmodi externis signis.

Sic finem scribendi facio cum filum hic rumpendum existimem. B. L. obnixè rogo, ut

exercitium hocce rudiori Minerva elaboratum, animi eruditionem magis sitientis, quam prodentis indiciũ

candide agnoscat, atq; ita interprete- tur, ne in medio studiorũ cursu con-

stitutum sufflaminet, sed suffragio auctum, ad tendandum majora erigat, vel saltem hæc ut intra veniæ spem consistant, faciat.

*Gloria sit Patri Nato cum Flamine Sancto.*

Då Ehreborne och Wallårde

Hetz **J A C O B** CarlQwist/

Min högtåhrade Wån och Landzman/

sin Lårdoms sinrijka Prof med

Beröm af lade :

**D**Err **E A R L W J S E** må man wåten  
lycklig **J A C O B** nämna/  
Som Lårdoms ådla Saffe och Dyg-  
ders lufwa Must

Med Glijte insupit/ och från lindan odygds/ Lust  
Sig undertrampat har: det Wixord lähr  
wåhl lämna

Hans sines mogna frucht (Sköns iag intyga åmna)

Hwad Fastor/ gamblahast/ der til en sorge-pust  
Bland dem mång helgon bracht/ som motgångs  
första dust

Ei omkul slagit/ men lärde gåå **E U D Z** wågar  
jåmna;

Hur' de sig der wed rede med mehra yttat har  
Herz **E A R L W J S E** Tanck an Sin; Zy bör  
mig wara snar

Förtröligt ånska Ehr/ det i må flere Qwister

Åf edert sinnes trå/ strö kring på Jordē här:

Eist som ett Palmtrå täckt sin fågring stådze bår

Jockså grönstenskens och Ehr grönstank alldrig mister

Förmedelst desse i hastigheet samansat.!

tade rader sin wånskap beyngar

**A N D R: H E I N R I C I U S.**

*Pereximie & literatissime*

**DN. JACOB E CarlQwist/**  
Auctor & Respondens hujus Dissertatio-  
nis perindustrie Fautor Amice & Patri-  
ota plurimum honorande.

**V**eritati haud dissonum est cum dicatur,  
quod agere, vivere sit, ociari, mori; in  
hanc quippe vita scenam nos Natura duxit,  
ut sue quisque fabulae non otiosus spectator  
sit, sed Actor: si hic quis est, utique vivus,  
si ille, mortuo similis; nam cessante actione  
cessat donorum usus, quo negato, quid, quæso,  
homo differt ab inutili terræ pondere? Nihil  
ergo sub sole suavius cultu donorum à supre-  
mo Numine concessorum, ipsaque fruitione  
portionis quam Natura cuilibet assignaverat:  
Hæc cuncta excitat & præstat emula illa vir-  
tus nihil inexpertum omittens etiam in li-  
terarum elegantiss; diluit enim molestias &  
quævis laboris tædia, quibus sæpè ad vilita-  
tem sui compelluntur ignavi. At Pereximie  
Dn. CARLQVIST, ignaviam tu inter da-  
mna collocasti, bona mente, in juventute, emi-  
nere studens, haud dissimilis athleteæ in cursu  
non

non respicientis relictos, sed intendentis in  
prios: Scripsisti enim concinnam quan-  
dam Disputationem de Fejuniis, quibus ira-  
tum Numen mitigare voluere Hebraei, Rei-  
publicæ & Ecclesiæ ingenium te debere cogi-  
tans: Gratulor ex animo generosum tuum  
conatum! spes enim de concepta bonis o-  
mnibus & tuis spondet, ut aliquando inter  
Eruditos censeare; itaque si quid votis pos-  
sum, à DEO contendo, ut tuus hiece la-  
bor prosperè cedat, cupioque ut voti mei Syn-  
graphæ sint hæ lineolæ! Vale!!

Dab. in Sagerwijf die  
24. Aug. 1696.

ERICUS DAHEMAN.

Herz RESPONDENT,

Min högtårade Wän och Landzman/

Et sijnijkt Prof nu här Herz Respondenten  
wijsar/

Af lärdom sin och sijn som sielfwa wärfet priisar  
Der af man lähra kan hur' Judarna haa dyrct at/  
Sin Gud med fastande; sijn blir af och en  
yrct at/

En blij wijs twungne til at gå med hungri-  
maga/

Rätt såsom Te ops Son och Tantalus som draga  
Mäst

Wäst sådan lefnad swår; Men Rykten må så fasta/  
Same och Papisterne som ensint willia lasta  
Oß finsta bocnens Barn/ som utan skilmad  
gärna  
Plå nyctia allan Tijd hwad Himbleus gunst  
månd' årna  
Til födo; fast och wii en Hellig fasto idka/  
Då wii för Syndastraf tänckt Himbla Herren  
blidka/

CASPAR PORTHANUS  
Wib.

---

Viro Juveni

*Pereximio & Doctissimo*

DN. JACOBO CarlOwist/

Conterraneo suo honorando.

Carmine non bene nunc ego possum  
dicere laudes

Quas vult & poscit tua virtus candida  
& alma,

Ipsa dabit virtus laudes ex nisibus ipsis,  
Dat laudes, inquam dat præmia gau-  
dia multa,

Atque hoc ex merito sic monstrant  
splendida signa,

In Scripto hoc claro quæ spargunt  
mentis honorem;

Tu



Tu quia, mi Carlqviff ceu fautor A-  
mice colende,  
Jam tradis ritus veterum, fic dogma-  
ta vera

Tradis, frugalem monftrans jejunia vitã.  
Quod facis egregiè, testes funt mellea  
verba,

Gratulor ergò tibi, grator de pectore toto,  
Cunctaque faufta precor felicia & o-  
mina poft hac?

*Hifce gratulari tentabat*

NICOL. URSINUS. Wib?

---

*Ut eruditione, ita morum præftantia proba-  
tiffimo Viro Juveni,*

DN. JACOBO Carlqviff/  
Populari & Fautori fuo honorando.

**S***i bene perpendis quantum expedit integra  
vita,*

*Quantum & sobrietas hominem commendat  
ubique,*

*Laudabis merito jejunia dogmata vera,  
Illecebras quibus arcebat numenque colebat  
Gens veterum pia, fic stimulos carnis mode-  
rando.*

Re-

*Rectè ea jam monstrat Respondens mente sa-*  
*gaci,*

*Quæ facile ingenium clarum produunt vege-*  
*tumque:*

*Non exinde suis fraudandus laudibus aqvis.*

*Hæc licet festinante crena mente ta-*  
*men serena adjecit*

**MAGNUS ALOPÆUS** Wib:

---

**S***ic bene Respondens jejunia scribe sagaci,*  
*Mente, ut judicium poteris meruisse bonorum*

*Ergò hæc dum studio colis assiduoque labore,*

*Indubie Aoniâ CARL QWIST ornabere*

*lauru!*

*Hoc debiti officii Ergò*  
*reliquit*

**MAGNUS Hjelmann / Wib:**

---

**A***UREUS immeritò haud tu docte vo-*  
*cabere JACOB*

*RAMUS, cum & virtus adsit & ejus ibi*

*Qua mediante brevi dabitur post tem-*

*pore RAMUS*

*LAUREUS, en tibimet, sedulitatis ope,*

*Sic*

Sic poteris demum CAROLO servire fi-  
delis,  
Cujus tu RAMUM nomine te esse notas,  
In Cœlis donec VITI conjungere CHRISTO  
Cujus Te RAMUM fons sacer esse dedit.

*Debita observantia ergo  
festinus dedit*

SIGFRIDUS BROTHERUS,  
Junior Saw. Wib.

---

**D**en plicht och skyldigheet/ der med iag är för-  
bunden/  
Ehr min Herz Landzman kär skall göra till döds-  
funden/  
Mig til all gørlig Tienst/ frivilligst redebogen/  
Så skal och nånsin ey/ mig rinna utur hogen/  
At billigt skatta Ehy same edra lærdoms gåfwor  
Som I nu wiisa an/ dem Himblan med sin  
håfwor,  
Wå hymnigt kröna/ det förönskar släds och beder  
Jag Green/ åch Qwisten min som är wårde  
lof och heder!



In hoc tractatu de virtute  
Caroli Imperatoris  
deus  
Cujus in Ramum nomine te esse notat  
In Ceteris bonis Viri conjugere Christo  
Cujus in Ramum tunc facit esse deus

Deus  
Festum deus  
SIGRARDUS BROTHERRUS  
Junior Sive Wip.

En pacht och sticht  
Ere mit der Pandur  
Wilt ist all dellig  
Ed Hol och udfist  
De billig stude  
Com J in vofte  
Och gunde  
Jag Gode  
Iof och dicit

